


RIBBECK



LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

QUA ÆSCHYLVS ARTE

IN PROMETHEO FABVLA

DIVERBIA COMPOSVERIT

ENARRAVIT


OTTO RIBBECK

PHIL. DOCT. ANTIQ. LIT. PROF. P. O.

BERNAE.

TYPIS HALLERIANIS (B. F. HALLER).

MDCCLVIII.



Quod præclaro nuper eius fabulæ, quæ Septem ad Thebas inscribitur, exemplo felicissime demonstravit F. Ritschelius, certam in disponendis diverbiis quoque æquabilitatem secutum esse Aeschylum, id nescio an nulla plenius fabula confirmetur quam Prometheo, cuius vix ullam partem esse video in qua subtilis illa diligentia non sponte appareat. Nec fugit aut Welckerum olim de Promethei trilogia disputantem (p. 60 append. 69) quaternarius numerus, quo chori sermones ubique fere definiti sunt, aut G. Hermannum (elem. d. m. 784) anapaesticorum in exitu fabulæ systematum ratio, quæ inter Prometheus Mercurium chorūm hoc artificio distributa sunt:

| <i>II</i> | <i>M</i> | <i>X</i> | <i>M</i> | <i>II</i> |
|-----------|----------|----------|----------|-----------|
| 14 | 9 | 8 | 9 | 14 |

Sed statim in proœmio Roboris ¹⁾ cæca vis et servile studium Volcani, qui invitus imperiis eius obtemperat, compresso dolori ita opponitur, ut loquacior ille binis fere (tribus initio v. 36 H.) versibus increpet alterum, hic respondeat singulis. Distingui autem possunt eius altercationis æquabiles particulæ tres, quarum singulæ quinis utriusque personæ sermonibus constant. Nam exordium a culpa Promethei et parendi necessitate sumitur (36 — 51); deinde ad vinciendum et adfigendum rei corpus accedunt, sed ubi pectus etiam amici cuneo transforare tubetur Volcanus, ingemiscens ad crudelissimum mandatum brachia demittit moramque parvam negotii infert (66); at særioribus statim custodis minis perterritus reliquum munus exsequitur usque ad v. 81. Quod ut sentiretur artificium, necesse erat in recitando actores post versus 35. 51. 67. 81 pausam facerent. Et eum Robur ubique initium loquendi faciat, etiam eo audientium animos adverti curavit poeta, quod post intermissiones illas eadem fere sententia, qua tarditas Volcani reprehenditur, ter recurrit:

εἰεν· τι μέλλεις καὶ πατοικίεις μάτην; 36

*

οὐκονν ἐπειξει δεσμὰ τῷδε περιβαλεῖν,
ώς μὴ σ' ἐλευνύοντα προσδερχθῆ πατήρ; 52

*

σὺ δ' αὖ κατοκνεῖς τῶν Διός τ' ἐχθρῶν ὑπερ
στένεις; ὅπως μὴ σαυτὸν οἴκτιεῖς ποτέ. 67

Intervallum autem vicissim recitandi cum Volcani et verbis et gestu aliquo apertius significandum esset, inquirendum est in versus 51 sententiam. Nam postquam Volcano (v. 48) fabricam utinam ne umquam sortitus esset optanti respondit Robur

ἄπαιτ' ἐπαχθῆ πλὴν θεοῖσι κοιρανεῖν.
ἔλευθερος γὰρ οὐτις ἐστὶ πλὴν Διός

h. e. „omnia quippe molesta et onerosa“ vel „nullum est munus quo suo quodam onere careat excepto deorum imperio, nam liber nemo est nisi Juppiter“ (nam ἐπαχθῆ Stanlei pro librorum et scholiastæ lectione ἐπράχθη emendationem equidem certam habeo): Volcani verba quæ sequuntur

ἔγνωκα τοῖσδε, κούδὲν ἀντειπεῖν ἔχω

eo maxime obscura vel adeo corrupta visa sunt, quod τοῖσδε illud quo spectaret non satis intellectum est. Intellegit autem, ni fallor, Volcanus vincula, quæ in manibus tenet, quæque monstrans et in altum extollens manifesta servitutis, qua omnes dei excepto Jove opprimantur, signa esse non sine acerbitate animi clamat. Finitam autem esse hanc de Jovis potentia disceptationem significat verbis: κούδὲν ἀντειπεῖν ἔχω, in quibus qui ad infinitivum supplendus est dativus nescio an fortius et simplicius quam ut vulgo fit, σοι, supplendus potius sit αὐτοῖς, ut ipsorum vinculorum necessitati suum se arbitrium opponere non posse queratur Volcanus. Cuius cavillans mærorem Robur eodem in describendis vinculis pronomine uti videtur, si quidem Medicei libri auctoritatem recte tuemur, in quo scriptum est:

οὐκονν ἐπειξει τῷνδε δεσμὰ περιβαλεῖν;

h. e. „nonne igitur properabis ferramentorum istorum ligamina circumicere?“

Nam hæc quidem, τῶνδε δεσμά, coniungi multo etiam facilius potuerunt quam quod v. 6 legitur ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀρρήκτοις πέδαις. Et habet hoc Robur, ut insultandi causa eandem qua Volcanus usus erat vocem statim repeatat:

v. 66. *HΦ.* αἰσῖ Προμηθεῦ, σῶν ὑπὲρ στένω πόνων.

KP. σὺ δὲ αὖ κατοκνεῖς τῶν Διός τοῦ ἔχθρῶν υἱεροῖς;

*

v. 69. *HΦ.* ὁρᾶς θέαμα δυσδέστον δύμασιν.

KP. ὁρῶ κυροῦντα τόνδε τῶν ἐποξιών.

*

v. 72. *HΦ.* δρῶν ταῦτ' ὀνάγκη, μηδὲν ἐγκέλευ ὄγαν.

KP. ἦ μὴν κελεύσω κάπιθωντα γε πρός.

Cuius tamen figuræ vis ne infringetur, servandus erat cum Dindorfio is verborum ordo, cuius et Mediceus et cum aliis Güelferbytanus testes sunt, nec audiendi deteriores, ubi δεσμὰ τῷδε legitur. Hoc ipsum denique τῷδε, quod in ceteris excepto Mediceo exemplaribus omnibus extat, coniectura scriptum esse arbitror ab eis, qui τῶνδε quid sibi vellet non intellegent.

Sed versus 51 sententiam si recte intelleximus, appareat minus recte interpres v. 54

καὶ δὴ πρόχειρα ψάλια δέρκεσθαι πάρα

ψάλια ad universum catenarum genus rettulisse. Immo quoniam a capite ad pedes descendere in vinciendo Prometheo Volcanum eis, quæ sequuntur, elucet, tamquam oreæ (nam περιστόμια τῶν ἵππων etiam scholiasta ψάλια explicat) vel freni collo primum circumdandi erant eosque manibus iam se tractare deus faber contendit. Quem ineptius etiam non veteres tantum his, quæ statim sequuntur

λαβών νιν ὀμφὴν χερσὸν ἐγκρατεῖ σθένει
ὅμιστῆρι θεῖνε, πασσάλευε πρὸς πέτρας

moneri putaverunt, ut vincula tandem arriperet manibusque Promethei circumiceret. Qui enim parere se Jovis imperio v. 54 iactare potuisset Volcanus, si instrumenta obsequii (quæ statim ingrediens scænam tenuisse fingendus est) ne manibus quidem adhuc teneret? Prometheum potius vel brachia et manus eius comprehendere easque percutere et scopulo adfigere iubetur:

Nun pack ihn um die Hände, und mit mächt'ger Kraft
Des Hammers schlage, pflock ihn an die Felsenwand.

Accedimus ad chori²⁾ sermones iambicos, quos quaternario fere numero contineri Welckerus olim, ut diximus, animadvertisit, eiusque artificii causam probabilem a quadrato choreutarum agmine repetiit. Quod tamen ille cum paucis significare satis habuerit, nostrum autem ad consilium, ut constanter in hac fabula Aeschylum concinnitatem sermonum secutum esse demonstremus, ipsæ chori interlocutiones plurimum valeant, paulo accuratius de partibus eius, quas quidem in diverbiis egerit, disputandum est. Tanta autem constantia poëta numerum illum quaternarium retinuit, ut continuos versus iambicos quaternos noviens, duos semel tantum (698 sq.) choro tribuerit. Usus autem eo numero est, ubicumque singulos fabulæ quasi articulos aliquo modo distinguere vellet. Itaque quaternis versibus et ipso primi episodii initio (195) chorus Prometheum quid culpæ commiserit narrare iubet, et absoluta ea narratione (244) eundem commiseratur. Deinde postquam ut singula quædam eaque summa Promethei erga genus humanum beneficia velut capitulatim significata clariore in luce ponerentur, singulis uterque versibus sexiens se exceperunt (nam Promethei esse v. 258 persuasit Welckerus³⁾), qui sex chori paria sex illos trimetros recitavisse coniecit): eam quoque quæstionem rursus quatuor versibus concludit chorus monens, ut aliquam supplicii solutionem quærat Prometheus; qui quod monita illa item bis quatuor versibus (265 — 272) detrectat, ne id quidem fortasse non consilio poetæ institutum est. Redit porro eadem observatio in secundo episodio, ubi duabus illis Promethei orationibus, quibus de genere humano ex miseria erecto dicitur, rursus quatuor interpositi sunt chori versus (473 sqq.), quibus medici, qui sibi ipse mederi nesciat, similis dictus Prometheus meminit, ipsa morborum se remedia et si quæ sunt alia sanctioris disciplinæ præcepta homines docuisse. Finitam eius orationem (508) item quatuor chori excipiunt versus, qui cum sperare se dixerit, fore ut aliquando potentiam Jovis exæquet Prometheus, totidem hic versibus (513 sqq.) ad necessitatis arbitrium spes illas reicit; unde gravissima singulis inter se versibus quater alternantium de necessitatibus gubernatricibus Jovisque fato interrogatio subsequitur, quæ tamen ipsa non uno, sed quatuor Promethei secreta tegentis versibus subito abrumpitur (524 sqq.). In tertio episodio primum post v. 631, ubi expositurum se Ioni de futuris erroribus promiserat Prometheus, chorus intercedit petens ut antea illa causam laborum sibi enarret. Loquitur autem hic quoque versibus quatuor, ut in tanta numerorum constantia profecto mirum sit, quod quinque versibus Prometheus virginem obsequi patruelium desideriis iubet (636):

σὸν ἔγρον, Ἰοῦ, ταῖσδε ὑπουργῆσαι χάριν,
ἄλλως τε πάντως καὶ καστηνήταις πατρός.
ώς τάποκλαῖσαι κάποδύρασθαι τύχας
ἐνταῦθ', ὅπη μέλλοι τις οἴσεσθαι δάκρυ
πρὸς τῶν κλυσόντων, ἀξίαν τριβὴν ἔχει.

Nec repugnabo equidem, si quis v. 637 ab Aeschyli arte alienum et a scholiastæ potius eruditione profectum esse arguerit. Pulcherrima porro Ionis narratione adeo commovetur puellarum animus, ut in cantiunculam effundant horrorem (688 — 695). Quo fit ut, cum ad trimetros transitus aliquis parandus esset, quatuor versus (696 — 699), qui vaticiniis Promethei primis præfantur, non choro soli tributi sed inter utramque, chori dico et Promethei, personam dispositi sint. Secundis tamen et tertiiis rursus chori præcedunt versus quaterni (783 sqq. 820 sqq.), totidemque iambica totius fabulæ diverbia concludunt (1040 sqq.). Et his absolvimus chori sermones omnes excepto uno loco (932 sqq.), qui neque quaternarium nec (ut semel factum vidimus) senarium, sed quinarium numerum exhibet, ita autem comparatus est, ut nec interpolatum quidquam nec omissum esse facile appareat. Itaque aut concedendum, semel incertum quo consilio constantem consuetudinem abieciisse poetam, aut ipsa illa quæ videtur esse inconstantia ita explicanda erit, ut novum inde legis nostræ argumentum eruatur. Id autem hac mihi videor ratiocinatione efficere posse. Conatur enim singulis versibus quatuor chorus revocare Prometheum ab atroci confidentia, eique Prometheus et ipse singulis totiens respondet (932 — 939). Cuius extremis ex verbis: *πάντα προσδόκητά μοι* cum intellexerint Oceanidæ, vana esse conamina sua, iam periculis proponendis obstinatum amici animum commoveri posse desperantes brevissimo, sed eodem gravissimo dicto quam ipsæ sentiendi cogitandique rationem teneant comprehendunt (940):

οἱ προσκυνοῦντες τὴν Ἀδράστειαν σοφοί.

Ut hic unus versiculus quatuor illis, qui antecesserunt, quasi par existimari possit. Prometheus autem, quam nihil commotus sit eo præcepto, fortissime et ipse ita significat, ut extremæ Oceanidarum voci opponat continuos versus quatuor (941 — 944), quibus sui animi sensus quam fieri potest acerrime confirmat. Itaque cum versum 940 quasi complecti dixerim illos 932. 934. 936. 938, Prometheus dicta v. 933. 935. 937. 939 repeti quodammodo et confirmari sentio versibus 941 — 944. Nam qui sequuntur tres versiculi Mercurii adventum nuntiantes cum

sequentia fabulæ parte coniungendi sunt, nec magis ad nostram rem pertinent, quam quos supra negleximus v. 273 — 278.

Aliis quibusdam numerorum legibus Oceani partes accommodatae sunt. Ac primum cum quinque versibus ille adhortationem suam (309 — 331) finiverit, clementiam se Jovis aditum eiusque iracundiam placatum ire promittens, totidem versibus et Prometheus animadvertisimus aspernari oblatum auxilium (332 — 336) et Oceanum confidentius etiam spem suam in facilitate Jovis positam declarare (337 — 341). Postquam autem uterque quid vel sentiat vel speret copiosius orationibus elocuti sunt, ipsa sententiarum quasi capita paucis ita comprehendunt, ut initio quidem semel binis uterque versibus de opportuno placandæ iracundiæ tempore in universum disputationem (379 sq. 381 sq.); mox Oceani propensa voluntas, Promethei contra verbis iam in certo consilio parcentis pertinacia simili ratione ut in proœmio Roboris studium et Volcani dolor distinguatur (bis enim binis Oceanus, singulis Prometheus versibus loquitur 383 — 388); denique ubi intellexit Oceanus infecta re domum sibi redeundum esse, et ipse satis habet singulis versibus de sua tantum salute cum amico, qui sua causa alios pericula obire noluerit, colloqui. Itaque post alternantes versus singulos sex (389 — 394) proficiscitur Oceanus, quatuor versibus (395 — 398) quadrupedis sui inpatientiam memorans. Hanc igitur ad figuram diverbum a v. 379 ad 398 compositum esse intelleximus:

$$2 + 2 | 2 \times (2 + 1) | 3 \times (1 + 1) | 4.$$

Non minus diligenter poëta id episodium, quod ad Ionem pertinet, elaboravit. Cuius primum cantus et post stropham (589) et post antistropham (610) Promethei excipiunt trimetri quaterni. Inde a v. 614 usque ad v. 631 hic sermonum ordo sequitur:

$$2 + 1. 3 \times (1 + 1) \quad 2 + 1. 3 \times (1 + 1)$$

Binis enim Ionis versibus 614 sq. et 623 sq. in duas particulas dividitur colloquium, quarum priore de Promethei supplicio (614 — 622), altera de Ionis laboribus (623 — 631) dicitur. Tanta autem ipsarum sententiarum similitudo inter utramque intercedit, ut eadem fere concinnitate, qua carminum stropha et antistropha, hæc disceptatio dici possit composita esse. Quod ut planius intellegatur, totum locum ita descripsi, ut quæ sibi respondent ex adverso posuerim.

- 614 I. ὁ κοινὸν ὀφελῆμα θυητοῖσιν φανεῖς, 623 I. καὶ πρός γε τούτοις τέρμα τῆς ἐμῆς
πλάνης
ιλῆμον Προμηθεῦ, τοῦ δικην πάσχεις τάδε; δεῖξον τις ἔσται τῇ ταλαιπώρῳ χρόνος.
II. ἄρμοι πέπαυμαι τοὺς ἐμοὺς θρηνῶν πό- 625 II. τὸ μὴ μαθεῖν σοι κρείσσον ἢ μαθεῖν
τάδε.
νους.
I. οὐκον πόροις ἐν τήνδε δωρεὰν ἐμοὶ; I. μήτοι με κρύψῃς τοῦδ' ὅπερ μέλλω παθεῖν.
II. λέγ' ἡντιν' αἰτεῖ· πᾶν γὰρ ἂν πύδοιό μου. II. ἀλλ' οὐ μεγαλω τοῦδε σοι δωρήματος.
I. σῆμηνον ὄστις ἐν φάραγγι σ' ὥχμασεν. I. τί δῆται μέλλεις μὴ σὺ γεγωνίσκειν τὸ πᾶν;
620 II. βούλευμα μὲν τὸ Δῖον, Ἡφαίστου II. φθόνος μὲν οὐδεὶς, σὰς δ' ὀκνῶ θρᾶσσαι
δὲ χείρ. φρένας.
I. ποινὰς δὲ ποιῶν ἀμπλακημάτων τίνεις; 630 I. μὴ μου προκήδου μασσόνως ἢ 'μοι
γλυκύ.
II. τοσοῦτον ἀρκῶ σοι σαφηνίσαι μόνον. II. ἐπεὶ προδυμεῖ, χρὴ λέγειν· ἄκουε δῆ.

Habes interrogantem Io v. 614 sq. et 623 sq., recusantem Prometheus 616 et 625, acrius instantem illam 617 et 626, concedentem hunc 618 et 629, iterantem denique quod interrogaverat virginem 619 et 628. Iam trium extremorum versuum diversæ sententiæ sunt, quia de erroribus Ionis nec tam breviter nec statim absolvere voluit poeta. Horum ipsorum autem vaticiniorum parti ad absolvendam fabulam gravissimæ præmissum est memorabile illud diverbum, quo de Jovis futura clade ænigmata stupenti virgini consors malorum et odii deus proponit (743 — 782). Ac primum quidem postquam procœmum quod dicit laborum Ionis Prometheus his verbis conclusit (741): οὐς γὰρ νῦν ἀκήκοας λόγους, Εἶναι δόκει σοι μηδέπω 'ν προοιμίοις, tanta est Ionis perturbatio, ut nihil proferat quam dochmum ιώ μοι μοι ἐ ἐ (743); tum duobus versiculis Prometheus plus etiam restare malorum significat unoque post unum interrogantis chori huic quoque confirmat. Iam ita collegit animum Io, ut quinque versibus continuis (quem numerum num forte ad quinque versuum solutorum, qui præcedunt, rationem quadrare voluerit poeta, non decerno) mortem in vitæ tam miseræ vicem sibi exoptet, hisque certe respondent totidem Promethei versus, qui suas res miseriiores ac mortis etiam spe destitutas esse monens unicam salutem Jovis ruina sibi afferri posse iactat. Idque quo modo fieri possit pedetemptim per viginti quinque alternantium trimetros (758 — 781) disquiritur, quorum duos postremos continuat Prometheus, ut duodi sint alterius utrius sermones.

Restat solus Mercurius, cuius in exodo fabulæ anapæstos qua Aeschylus arte ordinaverit, olim, ut diximus, intellectum est. Difficilius est investigatu, quam in disponendis iambis a v. 948 ad 1010 rationem poeta secutus sit. Ac

potest sane consulto institutum esse videri, ut cum in ceteris omnibus disceptationibus constantiam et perseverantiam animi Prometheus etiam disputandi æquabilitate quadam prodiderit, Mercurii iurgiis ita commoveatur, ut quamvis pervicax in consiliis et sententiis modum tamen sermonum non eadem ut antea servet constantia. Quod non tam de initio altercationis dictum esse velim, ubi quod novem Mercurii severa patris mandata contumeliis exaggerantis versus undecim versibus contemptu et fastidio plenis repellit Prometheus, exsuperare certe voluit adversariorum fastum et arrogantiam. Sed reliqua mirum est eo ordine composita esse, ut primum binos semel uterque versus (968 sq. 970 sq.), deinde duos (972 sq.) Mercurius, Prometheus unum (974), porro bis singulos (975. 978) ille, binos (976 sq. 979 sq.) hic recitet. Nam id quidem non dubito quin rectissime Erfurdtius et G. Hermannus olim perspexerint, non posse quinque versus continuos 970 — 974:

τῆς σῆς λατρείας τὴν ἐμὴν δυσπραξίαν,
σαφῶς ἐπιστασ', οὐκ ἀν ἀλλάξαιμ' ἔγω.
χρεῖσσον γὰρ οἶμαι τῆδε λατρεύειν πέτρα
ἢ πατρὶ φῦναι Ζηνὶ πιστὸν ἄγγελον.
οὕτως ὑβρίζειν τοὺς ὑβρίζοντας χρεών.

eidem Prometheo, ut in libris fit, tribui. Ut enim de temere neglecta sermonum concinnitate taceam, non frigida tantum, ut dixit Hermannus, sed stolida etiam foret loquacitas Promethei, ut qui eis in obiurgando verbis usus esset, quibus ne adversarius quidem, si suas rationes tueri vellet, honestiora eligere potuisset. Ut in tanta maledicendi modestia ridiculus sit profecto, quod quasi suis ipse aculeis delectatus hæc, ut vulgo interpretantur, addere fertur: „sic superbire oportet aduersus superbientes,“ vel ut Hermanni verbis utar, „ferociæ opponenda ferocia.“ Quamquam hanc sententiam ne responsi quidem loco apte proferri potuisse existimo. Nam nec omnino Promethei erat *ὑβρίν* nescio quam suam confiteri, nec habebat cur eis, quæ Mercurius v. 972 sq. dixerat, suæ superbiae excusationem ullam opponeret. Contra Mercurii sane *ὑβρίν* iure queri poterat, quippe qui expers ipse malorum et liber vincito et misere habito insultare v. 972 sq. non dubitaverit. Itaque cum ironia uterque loqui putandus sit, Mercurio quidem „melius credo scilicet, huic scopulo servire quam Jovi fidelem nuntium præsto esse“ per cavillationem iactante, Prometheus autem, qui tantæ contumeliæ indignatione pæne obmutescat, laudante ministri inpudentiam his: „sic superbire decet qui superbi sint.“ Eius vero ægritudinem carpens Mercurius his „gestire mihi

videris ista qua frueris fortuna“ denuo excitare videtur Prometheo iracundiæ vocem, qui bis binis versibus (976 sq. 979 sq.) ad singulos Mercurii compositis acerrimas inimicorum exsecrations ebullit. Verum, ut dicam quod sentio, vel his rationibus vereor ut difficilimus locus omni ex parte expeditus sit. Hæret enim utique aliquid frigoris in dicto illo 974 et paulo abruptius gestire deliciis dici videtur, qui ignominia afflictus pæne obmutuit. Optime contra ad superiora Promethei 970 sq.

*τῆς σῆς λατρείας τὴν ἐμὴν δυσπραξίαν,
σαφῶς ἐπιστασ', οὐκ ἀν ἀλλάξαιμ' ἐγώ*

quadret tale Mercurii responsum :

χλεδᾶν ἔοικας τοῖς παροῦσι πράγμασιν.

Quibus adducor fere ut tres illos versus 972 — 974, quorum apud scholiastam Mediceum mentio non extat, ab Aeschyli textu omnino alienos esse coniciam. Quod qui probaverit, concinniorem certe sermonum ordinem, eumque Oceani et Promethei concertationi (379 — 394) non dissimilem lucrabitur hunc :

$$2 + 2 | 2 \times (1 + 2) | 1 + 1 | 1 + \frac{2}{2} | 3 \times (1 + 1).$$

Iam enim singulos sibi versiculos opponere incipiunt (981), sed mox propter novam contumeliam (983) :

εἶης φορητὸς οὐκ ἄν, εἰ πρέσσοις καλώς

ingemiscenti tantum (*ῷμοι*) Prometheo incidit in sermonem Mercurius memorans eam quidem vocem *ῷμοι* Jovem ignorare. Idque interpellati medio versu sermonis unicum sane in Aeschyli reliquiis exemplum quanta vi positum sit, non satis considerasse videntur, qui ad explendum Mercurii trimetrum repeti ab eo *ῷμοι* voluerunt. Sequuntur sex versus singuli usque ad 990, quo indignabundus Mercurius abrumpit altercationem :

ἐκερόμησας δῆθεν ὥστε παιδά με.

Iam igitur Prometheus decem versibus continua comprehendit, quid Jovis mandatis responsi per nuntium reportari velit (991 — 1000), Mercurius autem priusquam suum quod hodie dicunt „ultimatum“ (1011 — 1039) proferat, uno (1001)

et deinde duobus (1003) versibus non obiurgando ut antea, sed lenius adhortando atrocem Promethei animum placare conatur, qui tamen ea præcepta acrius etiam et acerbius respuit (1005 — 1010). Hæc autem extrema cum et ipsa decem versibus (1001 — 1010) contineantur, nescio an consulto ultimis quæ memoravimus (991 — 1000) Promethei mandatis paria esse voluerit Aeschylus.

Quamquam cum hoc tum alia nonnulla, quæ erunt sine dubio qui argutius quam verius me iecisse clament, non ita protuli, quasi certissima inventa spondeam, sed ut in hanc quoque tragicæ artis partem non sane futilissimam accuratius quam fieri solet inquirendum esse monerem. At non omnino saltem displicere velim ratiocinationes meas ingeniosissimo Aeschyleæ artis arbitro ac restitutori FRIDERICO THEOPHILO WELCKERO, cui oblata hac commentandi opportunitate semisæcularia muneris academicici longe clarissima RECTOR ET SENATVS Vniversitatis nostræ venerabundi mecum congratulantur.

ADNOTATIONES.

1) *Kράτος* et *Bία* qui Scytharum Atheniensium habitu indutos sibi fingunt, ridiculi sunt cum aliis ex causis tum quod marem esse *Bίαν* somniaverunt. An cum duo liberorum paria e Styge nata esse dicantur ab Hesiodo (theog. 385 sqq.) *Ζῆλος* et *Νίκη*, *Kράτος* et *Bία*, Victoriam quoque inter mares relegatari sunt? Et scholiasta num feminam τοξότην intellexisse credendus est, cum ad v. 12 adscripserit: ἐν πορωχορηγήματι αὐτῷ εἰδωλοποιηθεῖσα *Bία*?

2) Ubi constiterit chorus si quæris, simpliciter respondeo: nempe in orchestra, postquam a curru alato humum descendit (274 sqq. 280 sqq. schol. 128. 286). Orchestrā autem paulo elatiorem fuisse, ut montis quædam imago efficeretur, indicari sane videtur verbis: ὁ κριοέσση χθονὶ τῇδε πελῶ (283), ubi scholiasta adnotavit: προσεθῆκε τῇδε διὰ τὸν Καύκασον οὐ γὰρ πᾶσα γῆ σκληρά. Infeliciissimam contra esse iudico A. Schœnbornii suspicionem, qui in libro de scæna diligenter scripto (p. 292 sqq.) cum ceteros actores omnes tum chorū totam per fabulam in pluteis versatum esse coniecit. Finxit igitur in eiusdem parietis fronte æquabili velut anaglyphum quoddam, ut mihi quidem difficillimum sit intellectu, quomodo nisi limis oculis Prometheus, ut cuius collum quoque scopulo adfixum esset (54), vel conspicere potuerit reliquos a latere sibi adpositos. Nam de ceteris agendæ, non recitandæ tantum fabulæ difficultatibus ne verbum quidem addere opus est. Quo autem maxime commotum se dicit vir doctissimus argumento, quod in extremæ fabulæ turbis quid fiat puellis, aliter intellegi non possit (sic enim aut nubecula aliqua obtagi aut levi aliquo corporum motu evanescere potuisse), est id sane aliquid, sed alia profecto quadam ratione solvendum. Nam postquam adhortanti Mercurio τόπον μετά πον χωρεῖτ' ἐκ τῶνδε θῶν, μὴ φρένας ὑμῶν ἡλεῖσιώσῃ βροντῆς μύκημ' ἀτέραμνον (1062 sqq.) responderunt (1067 sqq.) numquam se deserturas esse amicum, Mercurius autem v. 1075—1083 planis verbis prædictis, certum in malum illas imprudentia sua inruere, risissent profecto spectatores, si nihilominus aliqua machina a periculis servatas vidissent. At ne illud quidem veterum arte dignum esse puto, quod in nostra sane scæna cum plausu spectari solet, ut tempestatem illam cum fulminibus et turbine, qualis describitur a Prometheo (1085 sqq.), suis oculis spectatores intuerentur. Immo

cum contra sollemnem consuetudinem veterum poetarum ne Mercurium quidem abiisse ullo verbo indicetur, nec tamen inter turbas illas remansisse in scena consentaneum sit, equidem sublato statim post ultima Mercurii verba aulæo Prometheus, quæ oculis proposita non essent, pone descripsisse suspicor. Quo factum est, ut quid Oceani filiabus misellis fieret, sibi quisque ut voluit imaginari posset.

3) Sed mutato *TE* in *ΙΕ* scribendum erat:

αἰκιζεται γε κούδαμη χαλᾶ κακῶν.

Quo et responsum apertius significatur et sententia corrigitur. Nam inepte dicebatur idem simul et turpi poena afficere alterum et numquam eam ipsam poenam remittere, quasi poena et perpetua poena duæ genere diversæ res essent, quæ tamen eodem tempore gererentur. Ceterum non prætereundum est, eodem Prometheus verbo *αἰκιζεται* hic in responso uti, qua et chorus antea (197) interrogans et ipse usus erat, ubi responsorum se esse promiserat (229):

*ὅ δ' οὖν ἐρωτᾷτ, αἴτιαν καδὸν ἡντινα
αἰκιζεται με, τούτο δὴ σαφηνιώ.*

4) Versu 386 cum dicit Prometheus

ἔμὸν δόκει-σὺ τάμπλάκημ' εἶναι τόδε

respondens Oceani dicto: *ἐπεὶ κέρδιστον εὐ φρονοῦντα μὴ φρονεῖν δοκεῖν, „meum hoc,“ inquit, „vitium esse puta mihi que soli relinque, ut bene consulendo aliis“ (hominibus sc.) „mihi ipse male consuluisse iudicer“: cf. 28. 84. 241. 470. 474. 509. 544.*

